

15497

DE
DELIRII TREMENTIS
NATURA.

DISSERTATIO INAUGURALIS
MEDICA,

QUAM

VENIA ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE CAESAREA LITTERARUM
DORPATENSI,

UT GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE

RITE ASSEQUATUR,

CONSCRIPSIT ET IN PUBLICO DEFENDET

HENR. CAROLUS A GROTHUSS,
CURONUS.



DORPATI LIVONORUM.

TYPIS J. C. SCHÜNMANNI, TYPOGRAPHI ACADEMICI.

MDCCCXXXII.

15497
52825-

**Tertu Riikliku Olikoosi
Raamatukogu**

428501

Imprimatur

haec dissertatio ea conditione, ut simulac typis excusa fuerit, quinque exemplaria collegio, cui librorum exploratio mandata est, tradantur.

Dorpati, die XXIV. Novembr. MDCCCXXXII.

Dr. Sahmen, Decanus.

FRIDERICO A GROTHUSS

PATRI

CARISSIMO AD CINERES USQUE
COLENDO

ET

CAROLO A GROTHUSS

PATRUO

DILECTISSIMO MAXIMEQUE VENERANDO

HANCQUE

SCRIPTURICULAM QUALEMCUNQUE

SUBMISSIS PRECIBUS,

UT

BENIGNE ACCIPIATUR,

IN

REVERENTIAE ET GRATISSIMI
ANIMI MONUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFAMEN.

Multum adhuc restat operis, multumque restabit, nec ulli nato, post mille saecula, praecluditur occasio aliquid adjiciendi.

Seneca, epistolar lib. I. epist. LXIV.

Tirones in arte nostra saluberrima male sibi consulere arbitror, qui scribere jussi, censeant, se sententias novas atque inauditas proferre debere, quibus mundum illustrent, et quae singularem prae se ferant doctrinam. Nam ὁ βίος βραχύς, ἡ δὲ τέχνη μακρὴ! — et quum illud breve tempus, quod in litterarum universitate peragimus, vix sufficiat medicinae studioso ad cognoscenda omnia illa, quae ante nos inventa sunt, et ad vertenda in succum et sanguinem ea, quae animus receperit, ac quomodo theorias inveniatur novas et commodas, quippe quas e libris tantum haurire possit, quia ad contemplandam naturam ipsi neque occasionis, neque temporis satis suppetit: tironi plerumque acquiescendum esse reor in monstrando, se a clarissimis et benevolentissimis praeceptoribus tradita praecepta bene perspexisse, seque ea in usum commodum adhibendo parem esse. Quum autem de delirii tremantis natura scribere statuissem, vires meas ad hoc opus perficiendum maxime esse infirmas bene intellexi, et tantum abest, ut laudem ex his pagellis mihi esse redundaturam sperem, ut potius veniam indulgentiamque virorum doctorum implorem.

INTROITUS.

Delirii tremantis nomine morbum intelligimus, qui ex potione spirituosorum immoderata et continua oritur, ac praecipue deliriis, hallucinationibus variis, artuum tremore et sudoribus, imprimis corporis superioris, profusis cognoscitur.

Cujus denominationes diversae sunt: nam Th. Suttonius (1) primus delirium tremens eum appellavit, Albersius (2) phrenesiam potatorum, Armstrongius (3) febrem cerebri ex ebrietate ortam, Petrus Rayerus (4) (Pierre Rayer) oenomaniam potatorum, Toepkenius (5) erethismum cerebri abdominalis, Andreaeus (6) (Andreae) encephalitudinem potatorum, Barkhausenius (7) maniam potatorum, atque alii aliter. Qui omnes malo huic ex diversis, quas de natura ejus sibi informaverant, notionibus diversa posuerunt nomina. At, quamvis unumquemque morbum ex causa proxima appellandum esse negari non possit, tamen, quo a Suttonio vocatum est, nomen praetulerim; natura enim ejus maximis tenebris occulta adhuc latet, atque nomen delirium tremens, quod certe

duo signa morbi maxime solita indicat, ut notissimum est, ita a plerisque etiam usurpatur; cetera vero jam nunc partim a re aliena putantur ac fortasse, ubi morbus magis innotuerit, aliquando abolescent. Ceterum vel Suttonius, quod non aptissime nominavit morbum, vituperari possit: nam appellatio delirium tremens ne duas quidem notas morbi plane constantes complectitur, et, quum participium „tremens“ potius ad delirium, quam ad aegrotum referri possit, quod vix voluerit Suttonius, vera ac justa caret significatione.

Morbi hujus vestigia jam in scriptis auctorum, vetustissimorum, veluti Hippocratis (8), Celsi (9) et Galeni (10) inveniuntur; attamen exstitisse eum manifestius ac crebrius eo tempore demum, quo potiones spirituosae, vinum ustum ex frumento, vel paratum ex oryza, saccharo (Rum Arrac), aliaeque bibi coeptae sunt, certum est. Quamvis ex vino quoque, multo serius utique, nasci eum posse doceant exempla, illas tamen inprimis favere ejus origini omnes probant observationes. Quod si, praeter abusum vini, minus, ut constat, perniciosum, veterum corporis constitutionem robustam atque incorruptam spectamus, cur apud eos morbus hic rarior ac levior fuerit, quam saeculis posterioribus, ubi luxuria indies crescente ac morum pravitate organismus magis magisque evertebatur, planum erit. Sic mala, ex immo-dica spirituosorum potione nascentia, quibus vis naturae fracta resistere jam non poterat, magis magisque ingravescere, atque medicorum in se animum convertere oportebat.

Th. Suttonius primus delirium tremens vere descripsit, simulque curationem empiricam docuit, qua aegrotos, quotquot ei crederentur, ad somnum, quem saluberrimum esse comperit habebat, efficiendum permagnas opii doses consumere summa audacia cogebat. Successus omnino felix, quo gavisus erat, et quem in eadem tradiderat commentatione, mox effecit, ut permulti ad ejus auctoritatem se adungerent, qui ut simili semper gauderent felicitate, tantum abfuit, ut non raro subita aegrotorum morte perirentur. Qui tristes empiriae eventus medicos, medicinam magis rationalem profitentes, ad morbum diligentius inquirendum mox incitaret necesse erat, atque sic temporibus recentioribus non pauci, qui majorem operam ac studium in illustranda morbi hujus natura ponerent, inventi sunt. Brevi etiam multae de proxima delirii tremantis causa in medium prolatae sunt opiniones, quae, quod dolendum est, pariter, atque curationes iis nitentes, non solum diversae, sed etiam contrariae inter se sunt.

Itaque nobis quoque, non quo tanta simus audacia, ut, quae extra omnem dubitationem posita sint, tradere velimus, sed ut morbi cognoscendi cupiditatem, quam aliquoties observatus excitavit, quodammodo expleamus, rem eandem contemplari liceat hac dissertatione.

Ad morbi alicujus naturam indagandam duas esse vias constat: aut enim materiae vitia, quae causam ejus constituent, directe investigamus, aut, cujus sint generis vitia, ex uni-

versis symptomatibus, ex eorum decursu, causis occasionalibus atque medicamentorum in morbum efficacia concludimus. Quum autem via priore, quod vitia materiae organicae subtiliora conspici plane nequeunt, inquisitione vel diligentissima parum, quin etiam nihil, comperire possimus, viam alteram, quamvis minus certam, ingredi, i. e. ex effectu causam, ergo ex causis, symptomatibus praecipuis aliisque morbi naturam eruere, cogimur. Quocirca, antequam rem ipsam aggrediamur, praecipua, quae in delirio tremante comparent, symptomata proponamus.

Symptomata et decursus.

Multi scriptores symptomata secundum morbi stadia distinguunt; at quum certi inter haec limites raro constitui possint, atque unum in alterum saepissime latenter transeat, indiscretam omnium imaginem exhibebimus. Delirium tremens aut subito incipit, potionibus spirituosus immodice sumtis, imprimis si gravior accessit animi commotio; aut, quod saepius accidit, origo ejus concoctionis molestis, iuedia, lingua obducta, ructu, nausea, vomitu, cardialgia, congestionibus in caput, capitis doloribus vel certe sensu injucundo atque obtuso declaratur. Goedinius (11) se in delirio tremante animadvertisse capitis affectionem plane negat; sed plures observationes, veluti Suttonii, Armstrongii, Toepkenii, Andreaei, Struvii (12) atque Barkhausenii, nuper vulgatae, contrarium

clarius docent, quam ut, plerumque adesse hoc symptoma dubitare liceat. Si nostra quoque experientia aliquo numero sit, hujus generis aegrotorum caput nunquam liberum nos invenisse fatendum est. Essentia porro symptomata, quae omnia huic morbo perpetuo consociata esse credere liceat, sunt: magna sollicitudo, inconstantia, anxietas, deliria et mendacia sensuum maxime peculiaria. Aegrotus, ut primum conspicitur, peculiari oculorum obtutu vago et timido atque inconstantia et mutabilitate summa internam sollicitudinem et anxietatem, quam celare adstantes frustra nititur, prodit. Koehringius (13) imprimis eruditiores ac bene educatos, hoc morbo affectos, praesentibus, quos non norint, omnia agere, ut quieti et sanae mentis viderentur, se observasse dicit. Per aliquod tempus revera, quibusdam res iis est, fallunt, sed, quem exercuit eorum observatio, ex taedio, quae partes suas omnino agunt, facile detegit simulationem. Fere semper loquaces sunt, arguti atque jocosi, attamen perpetuo ad metum et anxietatem propensi, cum peti se a latronibus, iudicibus vel heris suis credant. Interdum domi alienae se esse autumant, id quod magnam iis saepe affert sollicitudinem. In animi conceptionibus eorum magna animadvertitur diversitas ac varietas, quas oriri ex peculiari cujusque indole animique habitu verisimile est. Quorum conceptuum aut celeris est vicissitudo, aut idem per omnem morbum affectus omnibus visis inanibus clare proditur, veluti hilaritas, metus vel tristitia. Quibus vanis visionibus exceptis, plaucae sani consilii esse

videntur, ut per tempus aliquod sermo cum iis conseri possit, nec tamen ulla dictorum cluceat perversitas, atque non raro confestim ab erroribus avelluntur, simulac quis eos alloquitur, vel verbis castigat. Omnino in deliriis benignissimi dictoque audientes apparent, ita, ut tractatione amica, simul tamen seria, facile regi possint, atque saepe nimiae comitati et modestiae dediti sint. Aequae inter omnes scriptores convenit, eos tantum clementia et indulgentia tam medici, quam omnium, quibus utantur, compelli ad obedientiam ac pacem posse; asperitate contra ac vi adhibita, eos iracundiores usque pervicacioresque evadere, quin etiam in breve tempus furiosos. Alius anxietatis ac metus fons species vanae innumeratae sunt, quas sensus fallaces ostendunt. Modo enim belluas diversissimas, veluti feles, mures, glires, canes, serpentes, aliasque in lecto, vel circum eum perpetuo cursitare arbitrantur, modo ingenti similibus bestiarum procul adstantium ac minitantium multitudine terreri sibi videntur. Non raro etiam, quibus caret hic mundus, veluti spectris, diabolis, aliisque id genus portentis lecto excitari se eorumque excipi insidiis opinantur. Interdum diversas voces, musicam aliumve quem tumultum se exaudire, vel ruere in se tabulata vel dehiscere sub pedibus pavimentum, vel excidere se lecto credunt, quod postremum mali ominis esse censet Barkhausenius (14).

Praeter quas animi sensuumque turbatas funciones, multa alia fere semper consociata delirio trementi observari solent. Quo pertinet

vigilia, quae, ingravescente morbo, accedit, ac per omne tempus ejus constat. Initio inquiete dormiunt aegroti, saepeque ob somnia injuncta expergiscuntur, ac neutiquam somno recreatos, sed magis etiam fatigatos, se sentiunt. Denique, quum cogitatio vaga et visa terribilia animum perpetuo intendant atque excipient, somno prorsus privantur. Quin ne conantur quidem dormire, ac maxime invitati, jubente medico, oculos claudunt, quibus mox apertis, pavide circumspiciunt. Porro a Sutionio (15) item constans et essentielle morbi hujus symptoma artuum tremor habetur, qui delirium tremens vulgo quidem comitatur, sed ad cognoscendum malum plane nihil confert, quoniam hominum, ex consuetudine Bacchi muneribus deditorum, etsi non laborent hoc malo, manus tremere tempore matutino, antequam certam spirituosorum copiam assumerint, experientia quotidie docet. Qui tremor, ut primum humorem aliquem, solito similem, hauserunt, desinit. Armstrongius (16) tribus, quibus succurrerit, aegrotis tremorem defuisse dicit; attamen id praeter legem consuetam accidisse credendum, vel homines, quorum constitutio robusta, nondum magno eversa fuerit, vel qui fortasse, aliquoties tantum in bibendo modum egressi, in delirium tremens inciderint, spectare virisimile est. Morbo magis inveterato atque in veteribus Bacchi cultoribus, ubi spirituosorum abusus jam majorem organismo pararit perniciem, quam ut diu effugiat mala insequentia, hoc debilitatis signum prope nunquam abest. Ceteri omnes, qui morbum observarunt,

tremoris injiciunt mentionem, neque etiam liberi eo fuerunt, qui Dorpati observati sunt. Cur extremitatum imprimis superiorum compareat tremor, ut recte animadverit Berndtius (17) Dr., causa esse videntur tenera musculorum structura majorque nervorum vis atque etiam quod brachia et manus libere pendent, extremitates vero inferiores solo innitentes stabiluntur. Super tremorem, morbo magis inveterato, flexores non raro ita contrahuntur, ut manus introrsus convertantur, acceditque porro subsultus tendinum et floccorum lectio, quae omnia, quominus bene exploretur pulsus, magnopere impediunt.

Praeter symptomata modo memorata non raro sudor maxime profusus, saepius superiorem corporis partem, faciem et pectus, quam totum corpus aequaliter tegens, conspicitur. Qui vulgo tenax est, viscosus, odoris acidi ac non raro frigidus. Pro signo constante, quum Kribelius (18) Dr., octo viderit aegrotos eo plane liberos, imo cute torpida ac sicca, non habendus fuerit. Cl. Barkhausenius (19) etiam se interdum per totum morbum perspirationem cutaneam plane non mutatam invenisse ait.

Pulsus ut plerique confirmant auctores, fere semper magis minusve acceleratus est, ut saepe centum ictus una horae sexagesima percipiuntur, imprimis, morbo magis inveterato, instanteque periculo, ac praeterea plerumque parvus, inaequalis, attamen etiam plenus et duriusculus apparet. Goedenius, Kribelius et Toepkenius, Dr., soli semper normalem se eum offendisse narrant. Edendi cupiditas, quum per

totum morbum, tum ante ejus originem saepe nulla est, atque aegroti, vel victo delirio tremente, nisi post tempus aliquod, cibos consuetos non appetunt. Plerumque tamen, quamvis nullam ciborum prodant cupiditatem, si qui porriguntur, avide eos devorant. Sitis major minorve est, prout febris symptomata magis minusve declarantur. Raro tamen aegroti magnam conqueruntur sitim. Urinae magna diversitas est: modo enim intense rubra ac parca, levi sedimento; modo copiosa, aquosa et pellucida; modo etiam non multum a norma deflectit. Alvus modo aucta, modo constricta, raro normalis; saepius aucta est initio, rarius autem ubi summum attingit morbus fastigium.

Pervenimus nunc ad quaestionem, febriliter delirium tremens sit morbus, an non febrilis; scriptorum enim alii illud, alii hoc credunt. Multi, nominatim Armstrongius (20), Albersius (21), Lindius (22) et Struvius (25), Viri CII., priore ducuntur opinione, ac vel cel. Barkhausenus (24) se febrem tantum, ubi levior esset morbus, non animadvertisse, ubi vero gravior, semper vidisse dicit; alii contra, veluti Kriebelius (25), Toepkenius (26) et Goedenius, Drr., ullam conspicere febris signa plane negant; quorum postremus systema vasorum a malo nervorum primario prorsus alienum esse statuit. Quamvis in tanta dissensione uni alterive consentire opinioni haud facile sit, non possumus tamen, quin, etsi non semper, saltem plerumque adesse in delirio tremente febrim affirmantibus assentiamur, si quidem — immortalis Boerhavi sententiae, nullum si-

gnum febris pathognomonicum esse, memores, — non pulsum tantum spectamus, sed universa symptomata diligenter consideramus. In omnibus de delirio tremente scriptis ex pulsu tantum adesse aut deesse febrim docere nituntur; nobis tamen, ceteris omnibus, quibus a norma discrepet organismus, neglectis, pulsus frequens unicum febris documentum habendus esse non videtur. Quodsi plura ejus esse signa volumus, etiam functionibus assimilationis turbatis, secretionibus et excretionibus vitiatas ac sensu communi corrupto, musculorumque motui voluntario inservientium vi, alterata, aliisque declarari eam credamus necesse est; quocirca morbum, de quo agimus, quum, ut jam supra diximus, omnia haec symptomata in eo clare pernoscantur, febrilis esse indolis, statuendum erit. Omnino non planè intelligimus, cur, praecipuis systematis nervorum partibus magnopere turbatis, id quod in delirio tremente neminem lateat, actionem systematis vasorum, cum illo tam aperte conjuncti, non simul depravationi alicui esse obnoxiam censendum sit. Etsi igitur quodvis delirium tremens pro morbo febrili habendum sit, tamen febrim nunc magis declarari, nunc magis obscurari non negamus.

Exitus.

Quod attinet delirii trementis exitum, ut plerorumque morborum, triplex esse potest: aut sanitas, aut mors, vel remanent morbi reliquiae. Transit autem in sani-

tatem aut auxilio artis, aut ope naturae. Omnia symptomata tam intensione, quam extensione, sensim sensimque decrescunt, aegroti fiunt tranquilliores, artuum tremor desinit, pulsus magis pacatur, aegroti dormire concupiscunt, ac denique revera somnum capiunt, qui initio quidem inquietus est, saepeque somniis interruptus, sed paulatim plane quietus, dulcis, continuus evadit. Si res prospere cedunt, post sex octove horas demum expergiscuntur, planeque sanam prae se ferunt mentem, prorsus immemores vulgo phantasmatum omniumque, quae acciderint, ac conqueruntur tantum magnam lassitudinem, rerum omnium taedium, caput turbidum, ac gastricas nonnullas molestias. Quae omnia morbi symptomata reliqua sensim sensimque cedunt partim sua sponte, partim cura apta, atque homo pro plane sanato habendus est. Non semper tamen somnus continuus est et non interruptus, qualem modo diximus, sed aegroti jam post duas tresve horas excitantur, rectius quidem sui conscii, quam antea, nondum tamen mentis turbis plane liberi, ac deinde rursus obdormiscunt, donec, bis terve somno brevi repetito, symptomatibus morbi gravioribus prorsus vacui, expergefiunt. Semper morbum somno placido ac naturali transire in sanitatem videmus, qua de re omnes inter se consentiunt scriptores, atque idcirco eum ad malum feliciter vincendum necessario requiri existimandum erit.

Non semper tamen delirium tremens prospere finitur, sed saepe mors aut subito accedit ex apoplexia serosa, sanguinolenta et ner-

vosa, aut aegrotus, viribus magis magisque decrescentibus, denique inter maximae debilitatis signa animam expirat. Prius mortis genus secundum medicorum plerorumque observationes magis solitum esse videtur, et apoplexia quidem serosa et sanguinolenta, si ex cadaverum sectionibus tempore recentiore a Barkhausenio descriptis, qui fere semper humores serosos ac sanguinolentos in cavum cranii effusos reperit, judicare velimus, saepissime vitam finit. Non raro delirium tremens etiam in genus chronicum mutari et mortem afferre videmus; aut remanent mala corporis animique diversissima, veluti memoriae infirmitas vel defectus, animi hebetudo, quin etiam stupiditas; porro artuum tremor, vomitus chronicus, tempore matutino imprimis oriens, organorum abdominalium indurationes et molestiae haemorrhoidales aliaque. Quae vitia necessario sequi ex delirio tremente credendum quidem non est, sed quum iis teneantur imprimis potiores veteres, qui ex illo convaluerint, nescio, an jure eorum hoc loco fecerimus mentionem.

Differentiae morbi.

Quum de delirii tremens decursu in universum exposuerimus, praeterea discriminis, quod Struvius ac postea Barkhausenius statuerunt inter genus sthenicum et asthenicum, meminisse, ac quomodo decursu suo differant, quia inferius in constituenda morbi indole ad id re-

spiciemus, brevissime dicere iuvat. In genere sthenico prodromi interdum prorsus desunt, vel hoc modo produntur: aegroti maxime sunt inconstantes, vehementes, facile iracundi, nonnunquam valde hilares, saepius tamen stomachosi, litigiosi et auxii, ac conquerruntur capitis dolores, vertiginem, aurium tinnitum, congestiones et scrobiculi cordis angorem. Pulsus frequens est, plenus et duriusculus, rarius inordinatus atque intermittens. Facies rubet et turgescit, caput calet, atque artuum tremor levissimus est, vel etiam non raro deest secundum Barkhausenium (27). Vitia gastrica minora sunt; somnus initio quidem adest, sed tumultuosior evadit, crebris interruptus somniis, donec insomnia ingruit. Tum aegroti delirare incipiunt, atque, ut dicit Barkhausenius (28), omnibus visionibus unus praecipue proprius subest affectus, omnesque mentis conceptus unum aliquid spectant, vel ideis fixis, quae vocantur, nituntur. Morbus si gravior factus est, phantasmata ac deliria saeviora evadunt feriorque aegrotus, cuius sollicitudo et anxietas summae fiunt. Faciei rubor capitisque calor iidem augetur; perspiratio cutanea saepe aucta deprehenditur, ac sudor tepet.

Quod exitum attinet, delirium tremens sthenicum aut sanitate terminatur, vel in asthenicum mutatur, aut morte finitur. Sanitas, si ope artis placidus procreatur somnus, qui aequae facile mortem inferre valet, quovis stadio redire potest. Sin vero medicus duce natura utitur, symptomata primo decrescere animadvertuntur, donec sensim sensimque somnus conciliatur na-

turalis ac continuus, post quem aegroti, exceptis molestiis, quas supra memoravimus, plane sani expurgantur. Saepissime autem hoc genus in asthenicum mutari videmus, cuius rei causa fuerint vires aegrotorum morbi diuturnitate ac curatione nimis antiphlogistica aliisque noxis exhaustae. Mors ex apoplexia sanguinolenta vel serosa accidit per somnum aut per vigiliam.

In genere asthenico major anxietas est cum praecordiorum angore, gemitu et proclivitate ad ructandum. Vitia gastrica multo graviora sunt, artus vehementer tremunt, ac pulsus parvus est vulgoque frequens. Facies minus rubet, caput non valde calet, ac sudores profusi paulatim prorumpunt. Ubi vis morbi major ingruit, insomnia prioribus symptomatibus sese adjungit cum deliriis anxiiis, quae res spectant maxime varias diversissimasque. Aegroti sunt multo obedientiores facilioresque, quam in genere sthenico. Extremitatum tremor magis usque augetur; pulsus decrescit, evaditque frequentior ac trementior, et propter subsultus tendinum difficulter percipitur; sanguinis congestiones in caput minimae sunt aut nullae. Quo magis morbus increscit, eo deliria anxiora inconstantioraque fiunt, sudorque prorumpit frigidus et profusus ac facies concidens, ne plane exhauriantur vires, metum incutit. Auxilio naturae non multum confidere licet, sed, arte bene adhibita, hic quoque sanitas post somnum placidum naturalemque redit. Semper etiam in hoc genere ante somnum omnia morbi symptomata remittere animadvertuntur. Deliria enim leniuntur, tre-

mor inquitur, pulsus evadit quietior et plenior, atque aegrotum somnus urget, donec tandem obdormiscit. Res ubi laetae sunt, sui bene conscius expurgiscitur, attamen magna corporis infirmitas ac lassitudo, sicuti mala digestionis haud levia, medici prudentis per tempus aliquod adhuc requirunt auxilium. Rebus vero adversis mors ex viribus penitus exhaustis vel ex cerebri paralyti sequitur.

Postremo non praetereundum silentio delirii tremantis idiopathici ac symptomati discrimen, eo nitens, quod posterius aut caret prodromis solitis, aut hi certe non clare aperiuntur, sed symptomata, quibus declarari solet delirium tremens, aliis morbis; veluti inflammationibus localibus et febris acutis varii generis procreari videntur. Non raro varia vitia, in quae veteres incurrunt potatores, quaeque conjunctionem habent febriculam quandam, vel certe eam progignunt, aperte ad consummandum delirium tremens ansam praebent.

Causae occasionales.

Jam, morbi imagine in universum considerata, diagnosis, praecipue si quis observandi delirii tremantis non caruerit occasione, non multa facessere negotia, cuique liquebit. Attamen si fortasse mala conjuncta morbi cognitionem impediant, omnis dubitatio, simulatque aegrotum spirituosorum voluptati nimis indulsisse compertum fuerit, medico eximeur: nam, ut omnium docent observationes,

potatores soli hoc morbo affliguntur. Unicum ad hoc tempus cognitum et ab Armstrongio (29) enarratum mulieris exemplum, ex longo tempore magis opii portionibus assumendis consuetae, quae, remedii, quod in deliciis habebat, dosibus subito imminutis, in hunc morbum inciderit, de causa occasionali ejus omnibus acceptam opinionem aperte convellere, praesertim si opii ac spirituosorum effectus quondam esse similitudinem tenemus, credi vix possit. Diversi animi affectus deprimentes, veluti timor, terror, aerumnae, curae, alique, morbi originem adjuvare statuendi quidem sunt, nunquam tamen homines sobrios ac continentes, sed qui bibacitatis argui possint, delirio tremens afficere valeant. Kriebelius (50) insomniam primam esse praecipuamque causam morbi occasionalem putat; at sic, ut recte animadvertit Barkhausenius (51), effectum pro causa habet: nam insomnia haud dubie ad gravissima pertinet morbi symptomata. Quod attinet potionum genera, non perinde est, quo quis fruatur: nam spiritum frumenti, imprimis quod oleo illo foetido (Fuselöl) abundat, peculiarem hunc habere effectum omnium constat medicorum experientia, quamvis etiam vini adusti genera, veluti Rum, Arrac, liquoresque suaviores delirium tremens, etsi serius, producere posse, si non servetur modus, exemplis probetur. Num merum quoque vinum malum hoc afferre queat, quum id in valetudinario hujus universitatis observatum nunquam fuerit, ipsi dicere non possumus; attamen etiam vinum, imprimis genera ejus magis calefacientia ac spi-

rituosiora, simili esse effectu, etsi seriore minoreque, sive intensionem sive extensionem spectas, verisimile est, quoniam vinum, usione paratum, longe majorem afferre organismo perniciem; quam vinum; constat. Post diuturnum continuumque cerevisiae, imprimis fortioris, abusum Barkhausenius Cl. (32) non raro delirium tremens lenius accedere vidit; sicuti etiam ex vino nimio leviora ejus genera oriri se animadvertisse dicit. Non est consilii nostri, pluribus de causa mali hujus occasionali disse- rere, ac breviter rem tetigisse sufficere pu- tamus.

Causa proxima.

Praefati, quae necessaria visa sunt, ad proximam morbi causam illustrandam accedimus, metu tamen, ne rei difficultas vires nostras superet, neulquam soluti. Quum omnes opiniones diversas, ex quo primus hunc morbum descripsit Suttonius, protatas afferre ac percensere longum sit; tantum Toepkenii, Fahrenheitii (35) et Goedenii, qui proximam causam statuunt affectionem plexus solaris, atque Andreaei, Lindii et J. Franckii (34), qui morbum pro vera habent cerebri inflammatione, sententias accuratius perlustrabimus. Ceterorum vero hac de re opiniones, veluti Berndtii, Hufelandii, Kriebelii, Rombergii, Güntheri et Barkhausenii, quas, ut rem plenius tractemus, praeterire silentio non licet, tantummodo bre- viter perstringemus.

Prior opinio initio magno applausu exce- pta est, ac brevi multos sibi conciliavit assenso- res, quia, quum in lucem prodiret, imprimis quaestiones, tam de physiologia systematis gan- gliorum, quam de vi ejus in procreandos mor- bos institutae, medicorum exercebant acumen.

Licet igitur nobis in ea, quae tres scri- ptores illi, quos primos nominavimus, censeat, inquirere, ac causas afferre, cur ea nobis non plane vera videantur. Quum, brevi tantum tem- poris spatio nobis concesso, Goedenii de delirio tremente commentationem comparare non potuerimus, atque opinionem ejus ex aliis tandem- modo scriptoribus cognoverimus, Toepkenii (35) ipsius verbis utamur necesse est. Qui „Es scheint mir das Delirium tremens nach meinen Beobachtungen die Aeußerung einer Nervenaf- fection eigener Art zu sein, welche vom plexus coeliacus ausgeht, und die ich, sollte ich ihr dem Wesen und Sitz nach einen Namen geben, Erethismus cerebri abdominalis nennen möchte.“

At, si quod organum vel systema erethismo tenetur, actiones quoque ejus omnes, etsi vi minore, mobilitate tamen ac celeritate majore sint necesse est: quocirca etiam hoc in morbo plexum solarem alacriorem, quam in sanitate, esse oporteret. Quod, si plexus solaris fun- ctiones, quantum ex physiologia (36) didici- mus, digestionem regunt, circulationemque san- guinis abdominalem adjuvant, atque partim calorem animale procreant, ad quem producendum systema nervorum conferre negari nequit, certe non semper accidit. Ventriculus enim, qui in veteribus potatoribus vigore debito pri-

vatus est, ut, quum nutrimenta blandiora, imprimis lac, molestias creent, ad actionem sufficientem incitandam stimulos validissimos, veluti acida, salsa, amara omninoque incitantia requirat, in delirio tremente quoque tam torpidus est, ut vel mirae ob magnitudinem doses emeticorum vomitum non excitent. Concoctionis functiones interdum utique majore sunt celeritate: nam aegroti cibos oplatos magna aviditate devorant, atque alvum liquidam deiciunt; at fortasse saepius etiam alvo suppressa proditur tractus intestinorum torpiditas. Ipsa edendi aviditas non ex vera fame, sed potius ex inquietudine aegrotorum, qua rem quamvis agendam cupide arripiunt, oriri videtur, quum aegroti ejusmodi non appetant cibos, nisi eos videant; neque, quod oppressa est ventriculi sensibilitas, aperto ciborum taedio magis prohibetur, quam fame vera provocatur. Quod attinet alterum plexus coeliaci munus, adjuvandae nimirum circulationis abdominalis, sanguinem primo quidem spirituosorum effectum, tum vasorum systema, tum nervos abdominales, imprimis plexum coeliacum ad majorem incitante actionem, impetuosius in abdomen ferri negari non potest; diuturniore vero stimuli hujus effectum denique vasorum nervorumque actionem languescere oportet, quare circulatio venae portae impeditur, et hepatis lienisque indurationes, in hominibus ex consuetudine Baccho deditis observari solitae, exoriuntur. Denique postrema spectanda plexus coeliaci functio, qua ad producendum calorem animale, cujus fons praecipuus

mutuus nervorum et sanguinis effectus esse dicitur, contribuit; atque monendum, secundum omnium observationes caloris temperiem in hoc morbo non semper esse auctam, imo interdum aut non mutatam aut adeo immutatam. Ex omnibus igitur, quae diximus, plexum solarem, fortasse etiam totum gangliorum systema, potius torpore, quam erethismo, laborare, concludi posse videtur.

Alio loco Toepkenius cerebri affectionem serius accidere ac prorsus symptomaticam esse dicit, atque etiam Goedenius cerebrum hoc in morbo consensu tantum affectum esse putat. Cui sententiae, quia ex iis, quae infra afferemus, systema cerebrale non sympathia sed antagonismo affligi satis elucebit, subscribere non possumus. Intercedere autem inter systema cerebri ac gangliorum antagonismum, quum id quotidie doceat experientia, nemo negabit. Sic enim cogitatione magnopere intenta, imaginatione valde excitata, animi affectibus cujusvis generis, imprimis deprimentibus, atque cupiditatibus vehementioribus concoctionem, assimilationem totamque reproductionem maxime debilitari videmus; contra si vitae vegetativae actio praecipue agitatur, id quod quivis, coena assumpta majore, in se ipso expertus fuerit, vires animi atque animales jacere animadvertuntur. Quod si etiam in delirio tremente simile quid in systemate nervoso accidere statuamus, qua de re dubitari vix potest, porroque ex analogia ratiocinemur; in hoc morbo, si plexum abdominalem urgeri erethismo ponamus, cerebrum vitio contrario, torpore ergo, affici censendum fuerit. At

huic sententiae symptomata, quae in decursu morbi hujus conspici diximus, repugnant. Fortasse alia praeterea argumenta contra hanc explicationem causae delirii tremantis proximae afferri possent; sed ne diutius hac in re versemur, statim ad dijudicandam sententiam alteram, qua morbi natura cerebri nitatur inflammatione, transeamus.

Quamvis medici non pauci, imprimis Lindius, Andreaeus et J. Franckius hanc opinionem amplecterentur, ac diversis causis eam confirmare niterentur, tamen multi existerunt adversarii, praecipue ex Suttonii assentatoribus, qui, ex curatione, quae opio peficeretur, ex symptomatibus morbi peculiaribus atque cadaverum sectionibus argumentando, causam inflammationem esse prorsus negarent. Quae argumenta, quibus opinionem illam convellere nituntur, ut, quatenus iis refutari queat, videamus, eodem ordine, quomodo a nobis proposita sunt, diligentius explanabimus.

Quod attinet curationem, secundum plerumque experientiam opium maximae utilitatis saepissime quidem fuisse negari non potest; at tamen non raro, dum cura antiphlogistica morbum vicit, opium, ut docent exempla ab Albersio, Armstrongio, Berndtio, Andreaeo et Barkhausenio tradita, prospero caruit successu, atque e contrario omnia auxit symptomata. Albersius maxime deterret a magnis crebrisque opii dosibus praebendis, quia ex iis morbum facile apoplexia finire experientia edoctus sit; atque Barkhausenius, — qui aliam esse debere curam delirii tremantis athenici, aliam vero athenici,

statuit, — ubi res sibi cum priore fuerit, aut parvis ac mediocribus opii dosibus statum aegroti magis magisque excitatum, aut magnis dosibus somnum etsi effectum, tamen violenter conciliatum, ac etiamsi longum, tamen sanitate non exceptum vidit. Methodus antiphlogistica etiam saepe quidem nocuit; sed tamen, quia sanguinis missio vel alvi purgatio aliquando non profuerit, ideo non adfuisse inflammationem certo, opinor, concludi non potest: haud raro enim accidit, ut medicus, ratione utens duce, etsi omnia adsint inflammationis signa, tamen, propter aegroti constitutionem, vires atque organi affecti minorem praestantiam id non solum supervacaneum, sed ambiguum vel adeo periculosum ducens, venam non incidat. Sic profecto nihil, quo gauderi posset, assequeremur, si v. g. contra inflammationes, quas in senioribus febris nervosae stadiis, vel, ut aptiore utamur exemplo, in veteribus potatoribus infirmis nasci videmus, sanguinis missiones eadem intentione et extensione, ac quas inflammationes, in febribus inflammatoriis vel in juvenibus hominibusque robustis ac plethoricis obviae, requirunt, adhiberemus. Utilitas autem, quam opium in hoc morbo omnino praestat, naturam ejus non niti inflammatione, ut volunt nonnulli, certo arguere credi non possit. Nam a medicis optimis peritissimisque multas inflammationes locales, veluti pleuritidem, enteritidem, cystitidem aliasque, hoc remedio magna cum felicitate oppugnari quotidie videmus, si, sanguine pro necessitate detracto aliisque adhibitis antiphlogisticis, pulsu simul parvo et frequenti, or-

ganum affectum peculiari sensibilitate ac doloribus adhuc urgetur.

Alterum quidem argumentum, quod contra opinionem de delirii tremantis natura supra propositam afferunt, morbum hunc nimirum symptomatibus suis satis peculiaribus a vera cerebri inflammatione distingui, in universum verum esse, non negamus; sed id tamen certum est, non raro hunc morbum, si occupet homines robustos et plethoricos, initio similem quodammodo esse inflammationi cerebri idiopathicae. Sic nescio an, vel inflammatione cerebri accepta, peculiaria delirii tremantis symptomata ex causarum occasionalium proprietate ac constitutione aegrotorum plerumque afflicta explicari possint. Denique quae ex sectis hoc morbo mortuorum cadaveribus, ut proximam causam non esse cerebri inflammationem probent, petantur, dicendum est. Atque quum in hoc valetudinario cadaverum hoc consilio aperiendorum ad hoc tempus occasio oblata nobis non sit, ea tantum, quae ex multis quidem, sed inter se discrepantibus aliorum observationibus tenemus, in medio ponere possumus. Quia autem omnia afferre longum est, pauca tantummodo depromemus. Albersius igitur et Goedenius se ulla invenisse inflammationis cerebri vestigia negant; J. Franckius contra, Andraeus et Lindius eam signis clarissimis prodi affirmant. Quum vero Barkhausenius, quem, quod morbum hunc attinet, optime meritum esse omnes agnoscunt, certissima hac de re haud dubie protulerit; mutationes cerebri, quas ille, prout morbus sthenicus esset aut asthenicus,

reperit diversissimas, breviter referemus. Ille igitur, si delirium tremens sthenicum fuisset, mortuus vero juvenis ac robustus, vasorum omnium, tam venarum, quam artiarum inveniebat repletionem, multum imprimis sanguinem in vasis arachnoideae praeter normam formati, quorum paucissima ad systema artiarum, plurima ad systema venarum pertinere videbantur; porro ruborem piae matris ac substantiae cerebri, majore effectum vasorum sanguinem ferentium multitudine. Arachnoidea praeterea turbida erat et obscurata, ac non raro sub ea humores exsudati, aquae pelluciditate similes et serosi inveniebantur.

Prorsus alia ostendebant secta cadavera hominum seniorum, infirmorum, ex delirio tremente asthenico mortuorum, qui, ex longo tempore potionibus dediti, denique, viribus exhaustis, mortem obierant. Cerebrum et quae vicina sunt, imprimis venae, mediocriter dilatatae et repletae erant, arteriae vero in idem malum nunquam magnopere tractae: nam nullum conspiciebatur rete vasorum praeter normam formatum, nulla vasorum capillarium repletio, nullum exsudatum recens serosum plasticum. Tota cerebri massa interdum erat solidissima tenacissimaque, tanquam in vino isto habita esset, ac, deficiente simul sanguine, coloris normalis; abundante vero sanguine, subflava erat substantia medullaris, corticalis vero lutea. Arachnoidea partim incrassata, obscurata ac passim lymphae plasticae granulis tecta; pia mater non magnopere rubens, plexus choroidei ex parte hydatidibus parvis consiti,

atque in sella turcica non raro comparebant cariei incipientis vestigia. Semel tantum, mirum in juvene robusto, mortuo ex delirio tremente sthenico, acutae cujusdam cerebri ejusque tunicarum inflammationis, quae mortem proxime praecessisset, clara vidit signa.

Quibus praecisus atque diligentius consideratis, nos iis, qui veram cerebri inflammationem delirii tremantis proximam statuunt causam, assentiri omnino non posse rursus apparet, quia alioquin tam inter symptomata, quam in cadaveribus sectis, signa, ex quibus naturam esse encephalitudinem concluderetur, semper occurrere oporteret. Id vero, ut ex symptomatibus atque vitis, in cadaveribus obviis, perspicue videmus, nunquam constanter accidit. Attamen nihilominus simile quoddam encephalitudi malum ex morbi nostri decursu non ubique excludendum esse nos credere ex supra allatis liquet.

Berndtius (37) vitalitatem potatorum turbatam, quam p. 97, ubi pluribus eam describit, pro nimis irritata habet vasorum nervorumque vita, basin quasi esse dicit, qua delirii tremantis proprietates, accedente vi aliqua debilitante, inuitatur. Quae explicatio nimis generaliter rem tractare videri possit, quippe ex qua non satis elucescat, cur haec aegritudinis forma peculiaris nascatur.

Hufelandius (38) delirium tremens esse putat delirium nervosum, s. erethicum, cujus causa mera sit sic dicta passivitas, quodque interdum tantum, rebus quibusdam ac dispositionibus intercedentibus, indolem inflammatoriam, mox summae passivitati, quin etiam paralyti

cedentem, in breve tempus, prae se ferre videatur. Delirii tremantis causam fere semper esse passivitatem, atque interdum tantum indolem adsciscere videri inflammatoriam, experientia non semper probari arbitramur; nam morbus hic ubi insidet hominibus robustis ac plethoricis, praecipue autem, si est symptomaticus, ex malis inflammatoriis natus, symptomata inflammationis saepe neutiquam existere videntur, sed re vera existunt, atque pro diversa eorum intensione et extensione cura, modo magis modo minus antiphlogistica, feliciter oppugnantur.

Kriebelius (39), qui morbum hunc neque pro inflammatione, neque pro vitio febrili, sed pro animi malo habet, „dem Wesen nach, inquit, besteht das Delirium tremens in einer, wenn ich mich so ausdrücken darf, habituell gewordenen Retrogression zwischen innerem und äußerem Sinn, dergestalt, daß die, durch die Gewalt der Leidenschaften erzeugten und durch das lange Wachen fix gewordenen Vorstellungen des innern Sinnes, die Stärke der äußern Anschauungen erhalten, und der mit diesen Bildern beschäftigte Hirntheil seine Thätigkeit zu den Nerven der Sinnesorgane ausdehnt, in diesen Eindrücke erregt, gleich jenen von äußern Objecten empfangenen, so daß nunmehr zu der Stärke der Vorstellungen auch das sinnliche Colorit hinzutritt und die Verwirrung vollendet.“ Quibus perversitatis quidem animi originem recte illustrat, sed causam mali somatici proximam non explicat; quomodo enim, si eam animi pravitas sola consti-

tueret, mors inde celerrima, qua saepe finitur, explicaretur?

Rombergius (40) delirium tremens acutam vocat maniam, quae media sit inter cerebri inflammationem et delirium, unde, quae sit proxima morbi causa, non satis patet.

Güntherus (41) delirium tremens cerebro, aut symptomatice, ex stimulis gastricis, aut idiopathice, ex materiis, imprimis exanthematicis, metastasi in eo depositis, causis tanquam occasionalibus, affecto, cerni, atque morbum, quod attineat symptomata ejus essentialia, inter cerebri inflammationes describendum esse censet. Ceterum organum illud, licet morbus non semper mutetur in veram phrenitidem, sed medius potius sit inter cerebri inflammationem et paralytin, praevalem ad affectionem illam nancisci propensionem, qua morbo ipsi, si spectentur symptomata, peculiaris quidem nec tamen essentialis addatur proprietas, non negat. Quam opinionem tribus de causis amplecti nequimus: 1) quia, ut persuasimus nobis, in delirio tremente cerebrum non consensu, sed antagonismo, id quod infra demonstrabitur, affectum est; 2) quia materias, imprimis exanthematicas, metastasi depositas, non unicam cerebri idiopathice affecti causam occasionalem, sed variorum esse existimamus; 3) quia Günthero, delirium tremens, etsi non vera cerebri inflammatione, certe tamen statu inflammatorio semper niti opinanti assentiri ex rationibus prius allatis non possumus.

Barkhausenius (42) „das Wesen des Delirium tremens, inquit, besteht in einem ur-

sprünglichen Ergriffensein des ganzen Nervensystems, besonders des Gehirns;“ — quum vero, quomodo affectum sit systema nervorum, atque imprimis cerebrum, non dicat, opinioni ejus non est, quod acquiescamus.

Haec hactenus. Nam cur sententias postremo allatas non probaremus breviter dixisse sufficiat, quia plenam earum recensionem exhibere a proposito alienum est. Quocirca delirii tremens explicationem, a Sahmenio (43), Viro Cl., atque Struvio (44), in literarum fraudem morte erepto immatura, paucis propositam, („delirii tremens naturam videlicet pendere a justo inter systema gangliorum et cerebrum concentu, modo vasorum actione aucta, modo vi vitali infirma turbato,“) diligentius illustrare tentabimus. Atque si lectores benevoli tenui hoc opusculo animum vel paucillum detineri patiantur, satis amplam operae in eo collocatae mercedem adepti videbimur.

Spirituosis sanguinem excitari, atque, si modus non servetur, congestiones in caput effici, et in hominibus juvenilibus plethoricis, systemate vasorum nervorumque praeditis maximo morbili, jam, si vel semel tantum modum in potionibus excesserint, adeo intendi, ut quemadmodum haud dubie docet experientia, vera nascatur cerebri inflammatio, inter omnes constat. Ortam hoc modo encephalidem nescio an, qui delirium tremens unum idemque, ac cerebri inflammationem, esse statuunt, nomine delirii tremens descriperint; unde, cur encephalitis symptomata conspexerint, eaque

methodo stricte antiphlogistica pepulerint, jam mirum non erit. Sic etiam explicari possit, quomodo, si infelix fuisset eventus, manifesta inflammationis cerebri in cadaveribus reperta sint vestigia.

Quum hoc loco pernicioei, quam afferat diuturnior spirituosorum abusus, in universum meminisse non supervacaneum sit, paucis de ea disseremus. Ante omnia igitur, quum stimulis continuis viae primae afficiantur, potatorum jacet concoctio. Ventriculus enim, spirituosus ad majorem usque incitatus actionem, denique relaxatur, ac tam difficile commoveatur, ut minima in cibos solitos sit reactio; hinc porro fibrarum muscularium ejus vis infringitur, atque mutatur succi gastrici, qui jam non aptus est ad corpus nutriendum et ad bonam chymificationem, secretio. Perpetua nausea, tempore matutino accedens, saliva in ore confluens, lingua magnopere tecta, ciborum blandorum omnium taedium et ructus, post cibum sumtum nascentes, praecipua sunt indigestionis signa. Denique omnia systematis reproductivi affliguntur organa, atque varia creantur abdominis mala chronica, veluti indurationes hepatis, splenis, pancreatis, vitia ventriculi, totius tractus intestinorum aliorumque, quae, quum, depravatis organis, concoctioni et assimilationi praefectis, tota reproductio adeo turbetur, ut hydrops vel tabes sequatur, mortem sensim sensimque inferunt. Praeter mutatam sanguinis mixturam, vitiosa reproductioe necessario effectam, alia quoque systematis vaso-

rum notanda sunt vitia; pauca enim medicamina ullam tam celeriter mutant corporis functionem, quam potio spirituosorum sanguinis circulationem. Pulsus nimirum fit frequentior, cor pulsatur vehementius, fertur ad caput sanguis, ac calor totius cutis auctam esse testatur actionem ramorum, quos vasa dimitunt, tenuissimorum. Quod si diuturniore spirituosorum abusa vasa crebro excitantur, denique parietes eorum in circulationis detrimentum debilitari oportet. Pulsus igitur evadit tardus ac plenus, venae turgescunt, atque totius corporis vasa repleta apparent, unde musculorum vis opprimitur ac totius corporis sequitur lassitudo. Porro, ceteris systematibus penitus eversis, systema nervorum quoque integritatem suam conservare non posse facile intelligitur: crebra enim ac magna intentione quum nervorum omnium, tum cerebri vires imminuuntur, cujus interim sensibilitas augetur, id quod magna ad affectus cujusvis generis, veluti indignationem, iram, lacrymas aliosque pronitas, quae semper in potatoribus cernitur, probare videntur.

Haec in universum mala sunt, ex ebrietate sequentia, quae pro diversa hominum constitutione mutari posse nemo non videt. Quae circa jam in promptu erunt causae, quibus concitatur inter systema gangliorum ac cerebri discordia, et quae praecipue in conspectum veniunt, quando res incidunt, quibus a consuetudine abstrahitur organismi functio, veluti luxuria insolita ac febres diversi generis. Nihilominus tamen delirium tremens modo sensim

sensimque, modo subito consummatur. Illud accidit praecipue ex causa priore hominibus constitutione inerti, hoc vero ex febribus advenientibus, sed etiam, ubi modum in potando excesserint, hominibus vel robustis ac plethoricis, quibus mox fortem natura reducit reactionem. Pro diverso virium hominis modulo discordia illa manifestatur genere nunc magis sthenico, nunc vero magis asthenico. Nam homines juveniles, robusti ac plethorici, constitutione adhuc integra, si hac ebrietatis labe asperguntur, perniciosi ex ea allatae fortius resistere possunt, ac quum systematis vasorum in iis majus sit dominium, cerebri incitatio ad inflammationem propius accedit. Cui opinioni neque symptomatologia, neque, quae supra proposuimus, reperta in sectis ex delirio tremente sthenico mortuorum cadaveribus, neque curatio, quam infra paucis indicabimus, repugnare videtur.

Paulo aliter res se habet, quando homines seniles jamque infirmi potionum intemperantiae indulgent: hi enim, quum organismus minus iis reluctari possit, longè majoribus impediuntur damnis, unde mox vegetationis ac vasorum nervorumque actionis labem in lucem prodire videmus. Quos si delirium tremens invasit, pro diverso aegrotorum statu diversam quoque indolem, ob quam asthenici nomen ei supra tribuimus, adsciscat necesse est. Signa igitur status cerebri inflammatorii, sicuti etiam auctae vasorum actionis, quia vires organismi ita jaceant, ut tanta ejus reactio sperari nequeat,

magis obscurantur; signis contra inconcinnitatis, inter systema cerebri ac gangliorum intercedentis, mox notas actionis vitalis languescentis accedere animadvertimus.

Prout sola potionum intemperantia vel morbi febriles, aliis ex causis orti, malum producunt, delirium tremens aut idiopathicum erit, aut symptomaticum. Quomodo autem hic morbus nunc ebrietate proxime praegressa, nunc vero alia incitatione febrili effici queat, fortasse hac ratione explicetur. Ut enim, qui potare consuerunt, subito delirio tremente affici possunt, quum actiones systematis vasorum, ebrietate denuo excitatae, systema nervorum, jam per se infirmum, ita adorianur, ut denique variarum partium ejus existere inconcinnitatem, qua morbus progignatur, oporteat, ita etiam quavis incitatione febrili, alia quacunque causa nata, simili modo, ac praevalente systemate vasorum, delirium tremens procreari posse intelligitur.

Ergo, si sanitatem redire volumus, justo major systematis cerebri actio imminuenda, actio vero systematis gangliorum prostrata adjuvanda erit. Quod omnium optime praestat somnus placidus ac sanus, de cujus in delirio tremente salubritate, antequam de diversorum morbi generum curatione dicere aggrediamur, pauca dicenda. Afferitur saepe sola naturae vi, si pravus cerebri status sensim sensimque aliquatenus normam indirecte repetit, id quod ex aegroti se habendi ratione cognoscitur. Fit enim tranquillior, deliria remittunt, pulsus evadit quietior

et ordinator; aegrotus dormire concupiscit, revera in lecto decumbit et denique dulci placidoque sepelitur somno. Sin vero somnum celerius ac directe ope artis fieri cupimus, ante omnia exaucta cerebri actio lenienda; quod ubi aliquatenus effectum fuerit, somnus, qui reliquam cerebri intensionem tollet, sua sponte certo sequetur. Non innumerae solum de delirio tremente observationes somni in hoc morbo salutarem esse vim probant, sed etiam ex physiologia efficacia ejus, quam in totum habet organismum, accuratius considerata, utilitas ejus explicatur. Nam secundum opinionem a viris doctis plerisque prolatam, imprimis vero secundum ea, quae Kieserus (45) et Wilbrandius (46) in suis de magnetica animali actione commentationibus statuunt, cerebri actionem magnopere reprimunt, functiones vero systematis gangliorum eodem modo, quo illa imminuitur, adauget. Sic actionem cerebri, qua cernitur intelligentia, diversaeque ejus species, veluti facultas nocendi, cogitandi ac ratio, torpere, actionem contra sentiendi ejusque diversas species, veluti vim rerum imagines recipiendi (unmittelbare Anschauung) imaginationem et phantasiam praevalere videmus. Itaque, dum diversorum sensuum organa, cerebri quasi soboles, per somnum prorsus quiescunt, sensus communis, in gangliorum systemate radices agens, magis excitatur. Eodem modo per somnum conscientia ac libera voluntas exstinguuntur, actiones contra rudiores partis organismi sensibilis, cujus caput quasi est systema gangliorum, longe sunt vegetiores. To-

ta vegetatio, ideoque concoctio, assimilatio totaque reproductio majoribus pollent viribus. Aequae per somnum plus caloris, spiritumque, ex alto pectore ductum et plenum, ac pulsum pleniorum duriorumque animadvertimus. — Ex quibus somnum, ut delirium tremens in sanitatem transeat, necessario quidem requiri patet; sed ideo pro signo critico, ut volunt scriptores nonnulli, eum non habuerim, quia crises in fastigio morbi semper inducuntur, somnus vero, nisi in stadiis prioribus, ubi tamen effectu salutari caret, factus est, non accidit, nisi in delirii tremens stadiis decrementi.

Etiam quod remedia attinet, usus revera omnium maxime probavit, tum quae nervos abdominis praecipue excitant, tum quae cerebri actionem directe mitigant. Ex priore genere apta sunt purgantia, imprimis ubi tarda est alvus ac suppressa, et in aucta vasorum actione speciatim salia purgantia, quae refrigerant; porro emetica, dosi refracta praebita, quae in statu virium mediocri maxime requiri videntur. Ex altero genere commendantur et venae sectiones, et hirudines capiti applicatae; porro narcotica, imprimis opium, item camphorae doses magnae, quia parvis morbus exasperatur. Attamen haec postremo allata remedia, ut videtur, apta demum sunt, vasorum actione repressa et antagonismo nervorum abdominis excitato; actione vitali vero magis afflicta, nisi remediis volatilibus actio vitalis simul sustentatur, per se consilium non attingunt. In delirio tremente symptomatico morbus primarius praecipue spectandus. — Postremo, qua ratione delirio trementi

sthenico et asthenico occurrere soliti simus, ut eo quoque opinio a nobis prolata confirmetur, brevem injiciemus mentionem.

Genus sthenicum plerumque oppugnabamus hirudinibus et cataplasmatibus frigidis capiti applicandis, porro remediis purgantibus, tart. emetico, ipecacuanha aliis; venae sectiones maxima cum felicitate, imprimis si delirium tremens esset magis symptomaticum, ex morbo inflammatorio natum, instituebantur.

Quae non raro jam sufficiebant ad somnum placidum continuumque alliciendum; ubi vero id non contigisset, nonnullis opii, in pulveris Doveri formam redacti, granis, vespera aegroti praebitis, consilium plane explebatur.

Contra si delirium tremens asthenicum esset, aut ex sthenico, aut, quod quidem rarius accidit, plus minusve per se ortum, mox, nausea ante aliqua excitata, ad opium transibamus, cujus initio quaque hora granum singulum, ac, si aegrotus inde non factus esset tranquillior, grana bina ternave iisdem temporibus porrigebantur. Sin autem signa actionis quum corporis totius, tum cerebri magis debilitatae comparuissent, opii cum remediis volatilibus, veluti serpentaria, angelica, naphthis et acidis dulcibus, utilissimus erat alternans usus. Atque si infirmitas maxima esset, opio, quod, ut narcotica omnia, quidquid superest nervis virium, tollere valet, plane abstinebamus, ac confestim camphoram, cujus doses majores, granorum V vel VI, secunda tertiave quaque hora, quin etiam granorum X, ter die praebitae, saluberrimae erant, arripiebamus.

Quum de curatione, cujus certe in hoc valetudinario prosperrimus fuit eventus, fusius dicere hujus loci non sit, haec, quod est consilium nostrum, sufficient.

Antequam summam opusculo manum imponamus, non possumus, quin, ut aequo indulgenteque animo has litterarum primitias Lectores benevoli excipiant, maxime in votis esse addamus.

LOCI CITATI.

- 1) Ueber das Delirium tremens. Aus dem Engl. übersetzt von Heineken. Bremen 1820. —
- 2) Vide praefatio ejus ad Heinekenii interpretationem. — 3) Praktische Erläuterungen über das Typhusfieber, Entzündungskrankheiten etc. Uebersetzt von Hühn. Leipzig 1821. — 4) Pierre Rayer. Sur le delire tremant. Paris 1819. — 5) Vide in Hufelandii Journal der praktischen Hlkde, T. LV. Decbr. p. 59. — 6) Vide in Hufelandii J. d. p. H. V. LVIII. April p. 43. — 7) Vide ejus Beobachtungen über den Säuerwahnsinn oder das Delirium tremens. — 8) Libro de morbis popularibus. — 9) Vide Lib. II. cap. 7 et Lib. III. cap. 18. — 10) Vide ejus in Hippocrati praedicti. comment. in medic. gr. opp. a Kühnio editi. T. XVI. p. 550. aliisque locis. — 11) Libro von dem Delirium tremens. Berol. 1825. — 12) Vide opus ejus: Ueber die Erkenntniß und Cur acuter u. chron. Kkhten p. 69. — 13) Vide ejus Dissertatio inauguralis. Berol. 1826. — 14) Op. I. p. 65. — 15) L. I. p. 10. — 16) L. I. p. 502. — 17) Vd. Hufel. J. d. p. Hlkde. 1823 Novbr. p. 97. — 18) L. I. 1824 April p. 27. — 19) Op. I. p. 34.

- 20) Op. I. p. 499. — 21) Vide praefatio ejus ad interpret. lib. Suetonii Heinekian p. 21. — 22) De delirio tremente. Havn. 1822 p. 47. — 23) Op. I. p. 75. — 24) Op. I. p. 30. — 25) Vd. Hufel. J. d. p. H. 1824 April p. 35. — 26) L. I. Decbr. 1822 p. 63. — 27) Op. I. p. 46. — 28) Op. I. p. 47. — 29) Libro „über das Typhusfbr. etc.“ p. 495. — 30) Vd. Hufel. J. d. p. H. 1824 April p. 19. — 31) Op. I. p. 17. — 32) Op. I. p. 45. — 33) Vd. Rustii Magazin für die ges. Hlkde. T. XX. p. 363. — 34) Praxeos medicae universae praecepta. Part. II. Vol. I. — 35) Vd. Hfd. J. d. p. H. 1822 Decbr. p. 59. — 60. — 36) Vd. Burdachii libri „Vom Baue und Leben des Gehirns.“ T. I. p. 74. — 37) Vd. Hfd. J. d. p. H. 1823 Novbr. p. 96. — 38) Vd. introductio ejus in J. d. p. Hlkde. 1824 April p. 5. — 39) Vd. Hfd. J. d. p. 1824 Apr. p. 34 et 35. — 40) Vd. in der Zeitschrift für psychische Aerzte 1. Hft. 1822. — 41) Vd. Zeitschrift für Anthropologie herausg. von Fried. Nasse. Vierteljahrshft I. anno 1825. — 42) Op. ejus I. p. 81. — 43) Vd. ejus Diagnostic d. Kkhten. des Gehirns u. d. Gehirnhäute p. 144. — 44) Vd. liber ejus „Ueber Erkenntniß u. Cur d. acut. u. chron. Kkhten“ p. 77. — 45) Vd. ejus „System des Tellurismus“. — 46) Vide ejus „Darstellung des thier. Magnetismus.“

THESES.

I.

Non accurata asthenicae inflammationis denominatio esse mihi videtur.

II.

Suppurationem non semper praecedit inflammatio.

III.

Motus infantis praecipuum est graviditatis signum.

IV.

Febris phthysica non a pure resorpto derivanda.

V.

In inspiratione homo moritur.

VI.

Docimasia pulmonum hydrostatica non tam certam notitiam, quam causae forenses desiderant, nobis exhibet.
